

Ill<sup>me</sup> ac R<sup>me</sup> D<sup>ne</sup>, D<sup>ne</sup> Colend<sup>me</sup>.

Forgalz

Redditae sunt mihi plenae illae amoris et benevolentiae Ill<sup>mae</sup> Dom. V<sup>rae</sup> litterae, quibus mecum ingressum huius novi humanissime salutatur, eiusque decursum secundissimum precatur. Ego quidem ad obsequia Ill<sup>mae</sup> Dom. V<sup>rae</sup> totus attentus quantumvis cum animo meo nihil crebrius volvam quam ut Ill<sup>mae</sup> Dom<sup>is</sup> V<sup>rae</sup> singulari erga me benevolentiae aliqua ratione respondeam, tamen id assequi nunquam possum; non quod dubitem gratum non esse Ill<sup>mae</sup> D<sup>ni</sup> V<sup>rae</sup> vel memoris animi voluntatisque studium, sed quod vetera sua in me merita novis semper beneficiis cumilare nunquam desinat. Itaque tametsi existimabam ad priorem observantiam meae qua in Ill<sup>mam</sup> Dom. V<sup>am</sup> ferebar ardorem, nihil omnino addi posse, tamen sentio me hac Ill<sup>ma</sup> Dom<sup>is</sup> V<sup>rae</sup> recenti humanitatis declaratione magis etiam obstrictum esse debere; nec iam illi gratias ago, leve enim id statuo, sed quod ultimum est opis meae, me totum imperio eius atque obsequio trado atque dedico.

Quod vero etiam librum suum contra gregem Angliae sapientissime scriptum, quasi comitem huius suae erga me benevolentiae mihi submittere voluerit, ago Ill<sup>mae</sup> Dom<sup>ni</sup> V<sup>rae</sup> immortales gratias, et cum illud gratulor, Deum Opt. Max. Ill<sup>mam</sup> Dom. V<sup>ram</sup>, tanquam validissimum ecclesiae suae columnen ad conterendas vesanas haereticorum technas, salvam atque florentem custodire, tum idem numen divinum precor humillime ut has illi vires adversus inimicos sanctae religionis diuturnas esse velit. Librum vero ipsum, dignum excellentissimis suis virtutibus munusculum, non solum non abscondam, sed et ipse studiose legam, et iis qui eius usum ad praesentem exulceratum in hac patria nostra religionis statum fructuose accommodare scient, libenter communicabo, ac pro eius incolumi ac diuturna vita Deum internellare non negligam. amud quem amplissimis